
INSTITUTIONUM JURIS NATURALIS

LIBER II.

JUS NATURÆ SOCIALE.

CAPUT I.

Notiones societatis et juris socialis.

Si recta institutionis ratio, legesque methodi a simplicibus principiis ad composita, atque a generibus rerum ad varias eorum formas, speciesque jubent progredi, necesse est, ut iis expositis juribus, quæ absoluto naturæ statui adhærent, aut certe hypotheticæ naturam societatis haudquaquam desiderant, deinceps ad hasce ipsas societates, earumque generales notiones descendatur; ac tum quoque a simplicibus inchoandum est status socialis notionibus, et principiis ejus generalibus. Est ergo naturalis jurisprudentiæ pars quædam de jure sociali inscripta, cui, quæ minorum societatum propria sunt, adjunximus ad majores paulatim societates, ipsamque maximam, nimirum civilem progressuri. Illius partis hæc est angusta, rudisque adumbratio.

CLXVI. Consociationum particularium ratio exponitur, propositi fines, virium unio: personæ moralis inde existentis idea, societatis interna constitutio et politia, negotiorum socialium indoles.

CLXVII. Societatum differentiæ, progressiones, compositiones.

CLXVIII. Aliæ æquales sunt, aliæ inæquales.

CLXIX. In collegiis seu æqualibus societatibus ratio suffragiorum in primis spectanda est.

CLXX. Comparatio æqualis et inæqualis societatis utriusque notionem et naturam perspicuam facit.

CLXXI. Societatis inæqualis potestas et imperium maxime proprium est.

CAPUT II.

Societas conjugalis.

CLXXII. Prima, quam natura spectabat, societas est conjugalis, aliarumque velut origo, ac seminarium. Exponitur ergo finis, ac notio matrimonii.

CLXXIII. Ejus necessitas aucto humano genere universos afficit, non singulos.

CLXXIV. Sitne vi naturæ ea societas indissolubilis, quæritur:

CLXXV. Item æqualis per se, an inæqualis?

CLXXVI. Polygamie notio, ac moralitas.

CLXXVII. Etsi vero a natura hæc sit instituta societas, tamen pactitia est, et in numero contractuum veri nominis.

CLXXVIII. Unde, quæ pactis substantialia sunt, ea contineat, necesse est, hinc oritur idea impedimentorum natura dirimentium.

CLXXIX. In his impedimentis quatenus consanguinitas et affinitas censeri debeat, indagatur.

CLXXX. Fini ac naturæ societatis conjugalis conjugum jura et obligationes respondent.

CLXXXI. Aptus hic maxime videbatur locus, delicta carnis naturali legi repugnantia enumerandi.

CLXXXII. Quid sponsalium proprium sit vi naturæ, cum sint quodammodo via ad matrimonium, traditur.

CAPUT III.

Societas parental.

CLXXXIII. Indolem hujus societatis patefaciunt nativa imbecillitas humani fœtus, pactum conjugum, stimuli naturæ.

CLXXXIV. Origo ac fundamentum potestatis parentalis investigatur.

CLXXXV. Ejusque potestatis velut mensura et objectum.

CLXXXVI. Uti omnis potestas, sic parentalís quoque inspectoria est, rectoria, executoria.

CLXXXVII. Hisce respondent mutua liberorum in parentes officia.

CAPUT IV.

Societas herilis.

CLXXXVIII. Ex origine servitutis, quæ non una est,

CLXXXIX. Ejusque modo, ac veluti quantitate.

CXC. Notio hujus societatis, quantum satis esse videbatur, describitur.

CAPUT V.

Societas composita familiæ.

CXCI. Ex societatibus simplicibus, conjugali, parentali ac herili una conjunctis, societas oritur composita familiæ. Si earundem simplicium binæ quævis combinentur, tres aliæ minores proveniunt.

CXCII. Ea combinatio fines simplicium societatum non tollit; cum tamen domestica societas instar unius et a simplicibus distinctæ societatis cogitanda sit, ea peculiari etiam fine gaudet, qui in usu vitæ quotidianæ finibus simplicium societatum accommodato consistit. Unde jura et obligationes familiarium dimanant.

INSTITUTIONUM JURIS NATURALIS

LIBER III.

JUS NATURÆ PUBLICUM.

HANC jurisprudentiæ naturalis partem eo curatius scrutatur sacrorum jurium candidatus, quo frequentius ad

eam, fidentiusque provocari intelligit a scriptoribus quibusdam novis: quasi thesauros complecteretur toti retro antiquitati absconditos, quos nec evangelii sacrosancti libri, nec traditionum depositum, nec patrum volumina, nec conciliorum acta, nec pontificum bullaria subministrant; quantumvis iidem ad genuinam sacrorum jurium interpretationem, decisionemque ita necessarii sint, ut nihil supra. Quapropter necesse est, ut a capite jus istuc civitatis arcessatur, et cujusmodi sit, quos habeat propositos fines, quæque jura iidem consentanea et requirat, et reipsa teneat.

CAPUT I.

Origo, notio, proprietates civitatis.

CXCIII. Quemadmodum res humanæ omnes a tenuibus initiis proficiscuntur, neque per saltum assequuntur perfectionem suam; ita non sine continua progressionem a minoribus societatibus ad majores, nempe anarchicam et civilem ventum est.

CXCIV. Neque tamen civilis status juri præceptivo naturæ adscribi potest. Conf. §. cx.

CXCV. Quod vel ipsa indicat opinionum varietas de origine civitatum et imperiorum.

CXCVI. Cum valde composita sit civilis societas, ad ejus pervidendam naturam, uti in omni fit composito, recte materia ejus spectatur, forma, causa efficiens, ac finis.

CXCVII. Ex quibus dein proprietates ejus status elucescunt.

CAPUT II.

Imperium civile, ejusque subjectum; ex quo forma civitatis pendet.

CXCVIII. Essentiale huic statui imperium est, potestas, ac majestas civilis.

CXCIX. Cum imperium non possit non inesse in quodam subjecto, ex istius determinatione forma civitatis pendet. Notiones hic incidentes in jure sacro usum habent non contemnendum; postquam de forma status

ecclesiastici inde ab aliquot sæculis disceptari cœptum est. Numerum formarum, quas *mixtas* vocant, leges permutationum algebræ exhibent.

cc. De simplicibus imperii formis sua cujusque com-
moda, incommoda, morbi recensentur.

cc. De statu primum democratico,

cc. De aristocratico :

cc. Demum et monarchico.

cciv. De origine civilis imperii seu majestatis, utrum a Deo proxime conferatur, an ex populi conventionem tanquam canali in monarchiam decurrat, majore fortassis contentione, partiumque studio, quam accuratatione aut fructu nonnulli disputant.

ccv. Dignæ sunt, quæ expendantur, proprietates civilis imperii.

ccvi. Nec accidentariæ determinationes sunt præmittendæ; quæ ex aliis longe causis pendent, non ex natura jurium vel negotiorum civilium. Aliter certe dilucularii nostri essentialia et accidentalia definiunt, cum de sacra tractant potestate, neque omnino analogiam cum civili habent præ oculis.

CAPUT III.

Modus acquirendi civile imperium et amittendi.

ccvii. Si in disciplinis figendæ sunt notiones, fixæque constanter retinendæ, nullus est *originarius* civile imperium acquirendi modus, secundum notionem, quam fiximus §. cxiii. (a.) Conf. dicta paulo ante §. cxxviii.

ccviii. Proprietates civitatis electivæ.

ccix. Successivæ.

ccx. Imperium civile amittitur intereunte civitate, aut ea incolumi manente.

CAPUT IV.

Imperio et statui civili respondent obligationes et jura subditorum.

ccxi. Quæ singulis civibus ex notione ac fine, id est,

natura civitatis proveniunt jura et obligationes, quodammodo *publica* censi possunt;

ccxii. Ea autem referuntur vel ad summum imperantem, vel ad totam communitatem, vel ad singulos cives alios.

ccxiii. Obligationes civiles erga imperantem.

ccxiv. Erga communitatem.

ccxv. Erga cives alios singulos.

ccxvi. Subjectio civilis variis modis et oritur, et cessat.

CAPUT V.

Jura et obligationes imperantis ac subditorum proxime sese exerunt circa securitatem internam et externam civium, et civitatis.

ccxvii. Ad finem civitatis et vim imperii civilis distincte concipiendam, atque a rebus sacris segregandam, nihil æque conducibile, quam expendere objecta illa, quæ attinguntur civili imperio. In his præcipua est politia: securitas interna, et externa, quæque ad hanc referuntur.

ccxviii. Quid securitati internæ obsit.

ccxix. Recensentur insignes articuli politia.

ccxx. Alii,

ccxxi. Aliique.

ccxxii. De externa securitate. Quam amplius est campus, in quem civile imperium excurrat, salvis sacrosanctis juribus!

CAPUT VI.

Multiplex inter res civiles et ecclesiasticas differentia. Sunt tamen momenta gravissima, itemque media, ac justis modi, quibus potestas civilis attingit negotia religionis.

ccxxiii. Non leviter percurrenda, sed animo penitus imprimenda est differentia utriusque potestatis, sacra nimirum et profanæ, fixoque obtutu spectanda utriusque origo, finis, media, negotia. Unde utramque summam

esse, neutram ab altera pendere, tam perspicuum fit, ut nihil magis.

ccxxiv. Interest ad cognoscendas veritates momenti maximi, ut idea, quam de felicitate caduca homines sibi effingunt, examinetur, ventiletur, purgetur. In quem finem effata sacri codicis ipsa ratione et experientia confirmata insignem usum præstant.

ccxxv. Felicitas præsentis status cum detrimento religionis, divinique cultus exaggerari a multis solet.

ccxxvi. Ob differentiam ac segregationem utriusque potestatis res divinæ ab imperante negligendæ haud sunt; cum multis adstringatur titulis, ob quos eas cordi curæque habeat. Explicantur ii tituli.

ccxxvii. Specialia imperantium circa res divinas officia ad jus ecclesiasticum remittuntur. Explicata enim institutione divina Ecclesiæ, haud magno labore opus est ad eas confutandas hypotheses, quas novatores quidam ad potestatem Ecclesiæ atque ordinis hierarchici metho-dice eludendam ac subvertendam confinxerunt.

CAPUT VII.

Securitas interna et externa civitatis conservari non potest sine sumtibus; quos subditi, quantum opus est, contribuunt in usus publicos.

ccxxviii. Ponderandæ inprimis causæ et fines expensarum publicarum. De honorum temporalium diversitate, quæ inde oritur, indicaturque hoc loco, confer deinceps §. cclxxxiv (e). et §. cccxcvii (c).

ccxxix. Proximum est, ut fontes indicentur, ex quibus sumtus hauriendi sunt.

ccxxx. Jus imperantis exigendi tributa fundatur in natura status civilis.

ccxxxi. Imperantes constituunt præfectos ærario publico: natura et ærario, et ærario præfectis apponit leges suas, tanquam custodes.

ccxxxii. Subditi partem patrimonii sui in ærarium publicum inferunt, ut reliqua pars securitatem obtineat.

Hinc obtentu publicæ securitatis securitas privata in discrimen adducenda non est.

CAPUT VIII.

Aliud medium, quod obtinendo fini civitatis necessarium est, consistit in consiliis et ministeriis officialium ejusdem.

ccxxxiii. Notio muneris privati et publici. Necessitas consiliariorum, et ministrorum.

ccxxxiv. Jus eos deligendi penes imperantem est: obligatio parendi penes subditos ob unionem virium.

ccxxxv. Dignitates civiles ex civili imperio tanquam fonte dimanant;

ccxxxvi. Sic tamen, ut eæ naturæ ductu in digniores deriventur.

ccxxxvii. Expenduntur diversæ viæ perveniendi ad dignitates et munera civitatis.

ccxxxviii. Nec dimissio officialium a muneribus publicis difficultate vacat, aut cautionibus a natura præscriptis.

ccxxxix. Obligationes officialium positivæ et negativæ respondent naturæ et indoli officiorum.

CAPUT IX.

Securitatis et tranquillitatis obtinendæ, conservandæ ac restituendæ nullum præsentius, magisque necessarium remedium est, quam administratio justitiæ.

ccxl. Potestas judiciaria perquam necessaria est in statu civili; ea profluit ex civili imperio; ut adeo imperans omnis jurisdictionis fons censi queat.

ccxli. A jurisdictione procedit iudicium, cui non modo finem, sed etiam ordinem quemdam natura præfixit,

ccxlii. Suasque partes et actori et reo designavit;

ccxliii. Nec vero advocatos suæ cupiditati et tumultui relinquit.

ccxliv. Præcipuas vero partes iudicibus imposuit:

ccxlv. A quibus lis decidenda est secundum veritatem et merita causæ.

cclxvi. Si pars læsa, quæ sanari debuit, vulneretur a iudice, natura offert remedia curandæ plagæ idonea.

cclxvii. Justitium quid et quotuplex sit.

cclxviii. Ad jurisdictionem criminalem rite perspicendam in primis notio pœnæ exponitur.

cclxlix. Qui jus habet infligendi pœnam, ejus *subjectum activum* dicitur.

ccl. Delinquens *subjectum passivum* est. Utrique *subjecto* sua jura et obligationes inhærent.

ccli. Ad notionem pœnæ, ejusque *subjecti activi* et *passivi* adjungenda est notio delicti:

cclii. Proportio pœnam inter ac delictum:

ccliii. Pœnarumque varia indoles;

ccliv. Ex quibus præcipua jurisdictionis criminalis capita determinantur.

CAPUT X.

Per potestatem legislativam non modo fini civitatis immediate consulitur, sed etiam omnia media fini consentanea in usum deducuntur; ut adeo potestas legislativa velut anima corporis civilis, ac leges, ceu totidem operationes ejusdem animæ spectari debeant.

cclv. Si medicamentis comparantur leges, per quas arcentur morbi, vel curantur, earum tractatio recte ad calcem rejicitur jurisprudentiæ publicæ; quia interna corporis civilis constitutio, ejusdemque operationes atque etiam morbi ante noscendi sunt, quam empyricorum more, nulla præmissa theoria, ad medicamentorum notitiam procedatur. Prima igitur se offert notio legis, ejusdemque ab actibus analogis differentia.

cclvi. Dein finis et materia legum dispicitur:

cclvii. Ea materia sunt actiones, quas aliter atque aliter lex attingit.

cclviii. Singularem mentionem illud desiderat legum genus, quod in præsumptione periculi fundari dicitur.

cclix. Difficile non est ex dictis concludere, quid sub legem non cadat.

cclx. *Subjectum activum* legis est imperans.

cclxi. Forma legis in promulgatione sita est.

cclxii. Ejusdem efficientia vero in obligatione;

cclxiii. Quæ conscientiam et forum internum afficit.

cclxiv. Qui legi servandæ subjacent, *subjectum passivum* nuncupantur;

cclxv. Quale censetur ipsum etiam territorium imperantis. Ad hæc capita diversæ de legibus quæstiones et controversiæ referuntur.

INSTITUTIONUM JURIS NATURALIS

LIBER IV.

JUS NATURALE GENTIUM.

CAPUT I.

Notio gentis, et juris gentium, ejusdemque principia.

cclxvi. **P**RIMA est, cum de multitudine vel turba hominum, aut familiarum agitur, quæstio definitiva, utrum *gentis* nomine vere comprehendatur. Secus enim humanitatis ea quidem et privatorum, non autem gentium jure gaudet. Similis est quæstio, cum secta hominum, ex quadam religionis formula viventium, Ecclesiam Christi se nominet.

cclxvii. Est quædam inter physicas personas, et morales similitudo; tamen negotia sunt quædam gentium propria, non item singulorum. Unde ob ipsam negotiorum naturam, gentiumque notionem speciatim tractanda veniunt ea, quæ a privatis ad publicas personas tradu-